

substantiam Angeli existentem in cœlo, sicut convertit eam in corpus Christi existens in cœlo, tunc substantia Angeli esset in cœlo, et hic, non tamen utrobique modo connaturali. Ut tamen passio constituat Angelum in alio loco, oportet quod ita retineat Angelum apud se in vi passionis, quod non impediatur ipsum operari alibi, ut ibi connaturaliter existat, sed detineat sine alligazione potentialium, sicut erant animæ in sinu Abrahæ.

XVI. Ad secundum respondetur virtutem illam posse addi Angelo sine additione novæ substantiæ, sicut docet D. Thomas infra qu. cxvii, art. iv, quod animæ rationali, quæ in virtute suæ naturæ non potest movere corpus, nisi vivificatum, potest superaddi ei aliquid virtute divina, ut moveat corpus non vivificatum a se. Quia ergo substantia spiritualis obedientialiter est capax, ut sibi major ac major virtus superaddatur, quam quæ naturaliter est in illa; ideo substantia Angeli potest non naturaliter, sed obedientialiter in majori loco esse, fortificando, et augendo ejus virtutem operativam, et contactivam corporis. An vero possit superaddi usque in infinitum syncategorematicæ, an vero habeat certum terminum illa virtus, ultra quem transire non possit, dependet ex opinionibus de extensione, vel intensione virtutis, an terminentur termino aliquo intrinseco, etiam in ordine ad potentiam Dei, vel possit in infinitum crescere sine termino: in hac enim opinione concedi debet quod Angelus potest esse in toto mundo divinitus sicut potest Deus convertere substantiam omnium corporum existentium in mundo in corpus Christi, et tunc esset in toto mundo, sed non esset sicut Deus ubique, quia non per se primo esset ubique, sed ex adjuncto.

Ad confirmationem respondetur

virtutem illam sic superadditam Angelo ad tangendum corpus, et operandum in illo non esse instrumentalem, sed ejusdem rationis cum præcedente, quia eam auget in sua intrinseca ratione, magisque extendit, licet quoad modum supernaturaliter augeatur, quia ex propriis causis non est debita quoad tale augmentum, sicut etiam lux solis augebitur post diem iudicii, juxta illud Isai. xxx: *Et lux solis erit septupliciter*. Et ipsi beati habebunt lucem clariorem luce solis, ut affirmat S. Thomas in additionibus, qu. lxxxv, art. ii ad ii, et opus. x, art. xxxvi.

ANGELUS QUOMODO POSSIT ESSE IN
DUPLICI LOCO INADÆQUATO.

XVII. Circa tertiam difficultatem duplici modo controvertitur, utrum Angelus possit esse in duplici loco inadæquato: uno modo intra suam spheram existendo in duplici parte inadæquata illius, licet divisa, et discontinuata inter se: secundo, utrum extra spheram propriam possit habere unam præsentiam inadæquatam et alteram etiam inadæquatam intra suam spheram, v. g. si Angelus habet pro spherâ, et termino in quo possit existere præsens unam leucam, potest esse difficultas, utrum intra illam leucam possit habere discontinuatas præsentias inadæquatas, v. g. existendo in quadrante leucæ, et similiter in alio quadrante cum discontinuatione intermedia. Vel secundo, utrum possit habere præsentiam inadæquatam intra istam leucam, v. g. dimidiam leucam occupando hic, et aliam dimidiam in loco longe distante, v. g. in cœlo.

XVIII. In hac re, qui existimant præsentiam Angeli non fundari in operatione, sed in ipsa substantia,

seu modo superaddito, difficile reddunt rationem, cur non possit Angelus divisim existere in pluribus locis inadæquatis, non existendo in intermediis: ex una enim parte urget illa ratio, quia Angelus ita existit in loco, quod totus existit in toto, et totus in qualibet parte: ergo etiamsi aliquibus partibus illius totius non existeret, nihil propterea deperiret Angelo, nec apparet in quo fundetur essentialis dependentia Angeli a continuitate assistentiæ in loco.

Et confirmatur exemplo præsentia corporis Christi in eucharistia: potest enim esse in una hostia, et in alia quantumcumque distante: ergo id non repugnabit Angelo, qui etiam existit totus in toto, et totus in qualibet parte, sicut corpus Christi.

XIX. Ex alia vero parte instat illud maximum inconveniens, quia alias posset Angelus naturaliter esse simul in cœlo, et in terra, imo in locis distantissimis in infinitum posset simul operari, dummodo in quolibet haberet præsentiam inadæquatam, si semel non dependet a continuitate corporis, seu loci, cui applicatur, ut existat hic et ibi, nulla est ratio, cur non possit in quacumque distantia poni simul. Quod communiter negant patres, ut Damascenus lib. i de fide, cap. xvii, ubi inquit: «Nec enim in pluribus aut diversis locis Angelus operari in eodem tempore potest.» Et lib. ii, c. iii, inquit quod: «Angelus quando est in cœlo, non est in terra.» Et Didymus in libro de Spiritu sancto longe a principio inquit quod: «Angelus qui aderat Apostolo in Asia oranti non poterat simul adesse aliis in cæteris mundi partibus constitutis.» Ergo Angelus non potest ita dividere operationes suas inadæquatas, ut possit extra suam spheram poni in pluribus lo-

cis inadæquatis sibi, imo sequeretur, non indigere Angelum moveri de uno loco ad alium, sed existendo in uno loco, et non relinquendo illum, posset in alio longe distantiori operari. Videtur autem hoc repugnare ex intrinseca natura rei existentis in loco, quia hoc ipso quod loco applicatur, non potest nisi in loco, et per unicum medium applicari, ut inductione constat in corporibus, et similiter in anima rationali, quæ non potest informare duo corpora quantumvis parva, nisi sint continua per modum unius: licet super hoc possit dispensare virtus divina, sicut dispensat in corpore Christi existente in eucharistia per supernaturalem virtutem discontinuando diversa loca, quia non ponitur ratione sui, sed ratione panis in ipsum conversi in quibuscumque locis panis, vel accidentia ejus sint. Quod autem aliquid per seipsum connaturali modo possit loco discontinuari, non apparet conforme modo, et rationi existendi in loco.

XX. Qui vero existimant Angelos esse in loco per præsentiam fundamenti in operatione, vel contactu virtutis (sicut Thomistæ) communiter tenent, posse Angelum intra suam spheram esse divisim in locis inadæquatis, eo quod potest operationem suam intra illam spheram divisim inchoare a diversis partibus non continuis, quæ sunt loca inadæquata, eo quod non dependet Angelus a continuitate spatii in operando, nec subjicitur legibus loci: at vero extra spheram illam, dicunt non posse Angelum operari in locis distantibus, etiam partialibus, et inadæquatis. Ita magister Bagnèz hic in hac quæstione lxxii, art. ii, dub. i, et ibidem art. ii ad tertium, inconveniens; Ferrariensis iii contra gent. cap. lxxviii, et hoc propter inconvenientiam allata: nam a priori vix potest reddi ratio cur Angelus non

possit esse in locis distantibus partialibus, quorum unus sit extra suam sphaeram, dummodo uterque non excedat adæquationem ejus, et efficaciam operandi, si simul jungerentur.

XXI. Res ista omnino nobis occulta est; verosimilius tamen videtur, quod naturaliter loquendo non potest Angelus discontinuare locum suum, neque intra suam sphaeram, neque extra, sed hoc ipso quod determinatur ad operandum, debet unica operatione, et ex una, et determinata parte majori vel minori, vel ex tota sua sphaera, prout voluerit inchoare operationem suam, et consequenter ibi solum collocare substantiam suam, quia hæc collocatur per operationem, ubi immediate, et primo incipit ex aliquo passo, quatenus reddit illud sibi conjunctum ad operandum ex illa. Hæc resolutio habet pauciora inconvenientia, et est conformior D. Thomæ dicit enim art. II; in fine quæstionis LII, quod: « Totum illud cui Angelus applicatur, reputatur unus locus, licet sit continuum: » ergo quod continuum non fuerit, non apparet quomodo reputatur ut unus locus. Sed in hoc non facimus tantam vim, sicut in ipsa ratione D. Thomæ, qua utitur in illo articulo quod: « Quia virtus Angelis finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid unum determinatum: oportet enim quidquid comparatur ad unam virtutem, ut unum aliquid, comparari ad ipsam. » Si autem Angelus potest æque primo incipere diversas operationes a diversis locis partialibus, non subsistit ratio D. Thomæ, quia illa plura loca neque continuitate sunt unum, cum sint divisa, et discontinua, neque ordine, cum non derivetur operatio ex uno ad aliud, sed æque primo incipiat ab utroque, alias non collocaret utrobique suam substantiam,

quia ibi solum collocatur unde primo incipit motus, et operatio, non ubi diffunditur. Quod autem uterque locus contineatur intra sphaeram Angeli, parum interest, si quidem non utitur tota illa sphaera, tamquam uno, sed tamquam pluribus divisim se habentibus. Unde semper urget illud inconueniens supra allatum. Quod si Angelus potest intra suam sphaeram discontinuare operationes, et præsentiam localem, incipiendo æque primo a pluribus locis inadæquatis plures operationes, non potest assignari ratio quare non possit æque primo illas incipere a locis distantissimis, et quæ sunt extra suam sphaeram, dummodo ita sint inadæquata illa loca, quod si conjungerentur, non facerent majorem terminum quam sphaeræ suæ, ut si potest Angelus esse in una leuca, et potest operari in extremitatibus, relictis locis intermediis, non videtur aliquid obstare, quominus possit unam extremitatem operari in cælo, et aliam extremitatem in terra, quia utraque extremitas si jungeretur, non faceret plus quam leucam. Quod vero inter media loca quæ relinquuntur ab Angelo, sint plura vel pauciora magis distantia inter se vel minus, omnino impertinenter se habet, quia si semel potest discontinuare operationes suas operando in unaquaque inadæquate, parum refert quod multum vel parum discontinuentur.

XXII. Ratio autem a priori ea est, quia natura agentis limitati hoc videtur postulare, quod si operatur per unicam virtutem, operetur etiam unica operatione, nec possit duas æque primo elicere, quæ inter se ordinatæ non sint, sed si plures operationes æque primo elicit, semper reducuntur ad diversas virtutes, ut si homo simul videt, et loquitur, et ambulat, ista fiunt per diversas vir-

tutes; nulla tamen virtus æque primo incipit plures operationes, sed si plures effectus facit, ordinate procedit in illis, et non æque primo plures operationes elicit, quia natura semper studet unitati, id exigente finita, et limitata natura. Ita perpetuo D. Thomas negat plura, ut plura posse simul intelligi, et multo minus operari, quia intellectus liberior est in apprehendendo, quam virtus in operando, præsertim cum Angelus per imperium practicum operetur ad extra, et per ipsum imperium moveat cælum, ut docet D. Thomas opusc. XI, art. III, sed non potest Angelus simul plura, ut plura intelligere, ut docet S. Thomas infra quæst. LVIII, art. II, ergo non potest æque primo plura ut plura operari. Ut autem Angelus simul esset in pluribus partibus, et locis inadæquatis intra eandem sphaeram, deberet æque primo habere plures operationes ut plures, quia neque essent ordinatæ inter se et connexæ, seu unitæ ex parte operantis, neque ex parte continuitatis loci: ergo nullo modo potest sic poni, seu operari in pluribus locis inadæquatis: videmus enim quod anima rationalis ut informat aliquas partes per modum unius, non sufficit partes ipsas esse intra sphaeram suæ extensionis, sed oportet quod inter se sint continuæ, et unitæ: ergo etiam spiritus non informans, sed agens, qualis est Angelus ut assistat intra suam sphaeram pluribus partibus, oportet quod illæ sint continuatæ, et unitæ inter se, non solum intra suam sphaeram contentæ, etsi discontinuatim, sicut nec potest plura et plura, etiam inadæquate simul intelligere in sententia S. Thomæ. Et ideo hæc ratio fortius me inclinât ad istam partem juxta sensum s. doctoris, et ejus principia.

XXIII. Ad fundamentum opposi-

tum respondetur, quod nihil deperit Angelo ex eo quod sit in pluribus locis, si quidem non dividitur; deperit tamen unitati operationis, quia si est in diversis locis inadæquatis, non potest habere operationem ut unam, hoc est, neque entitative unam, neque ordine unam. Plures autem operationes, ut plures, non potest habere Angelus, nisi pluribus virtutibus operetur ad extra. Nobis autem non constat Angelum plures virtutes habere ad operandum circa corpora, et tangendo illa. Nec propter hoc ponimus Angelum dependentem a quantitate loci, quia non dependet ab eo quantum ad commensurationem, sed solum ut a conditione requisita ad unitatem operationis ejus, quia pluribus locis discontinuis non potest unica operatione incipere, licet uterque ille locus intra suam sphaeram contineatur, quia non coordinantur inter se illæ inadæquatæ operationes, cum non continentur.

XXIV. Ad id vero quod dicitur de corpore Christi in eucharistia respondetur esse disparem rationem: tum quia id non fit in virtute naturali, sed supernaturali, de quo in præsentibus non loquimur: divinæ enim virtuti non repugnat quod Angelus simul sit in pluribus locis per plures immediatas operationes, secundum plures virtutes, vel in uno per operationem, in altero per passionem; tum quia in eucharistia non ponitur corpus Christi per aliquam operationem suam, sed per hoc quod panis convertatur in ipsum, vel quantitas specierum dividatur; et sic etiam potest Deus ponere Angelum in pluribus locis per hoc quod res diversorum locorum convertantur in ipsum. In præsentibus autem solum loquimur de modo connaturali quo Angelus existit in loco, scilicet per operationem: hæc

enim dividitur, si æque primo procedit a pluribus locis.

XXV. Sed adhuc aliqui obijciunt aliqua exempla : nam Angeli qui excæcaverunt simul omnes Sodomitas, Genes. XIX, simul omnes excæcaverunt, et tamen illi erant loco distantes inter se, nec operabantur Angeli aliquid in locis intermediis : ergo erant simul in pluribus locis inadæquatis ; et eodem modo Angelus qui occidit milites Sennacherib, Isaiaë xxxvii, simul omnes occidit, qui tamen erant in diversis locis castrorum, et in intermediis, nihil Angelus operabatur. Eodem modo Angelus superior qui præficitur a Deo uni integro regno, vel provinciæ, potest simul occurrere negotiis quæ in tali loco geruntur, licet sint inter se discontinua, et loco distantia, alias non sufficienter provideretur custodiæ illius regni per Angelum : ergo oportet quod possit esse in pluribus locis discontinuis. Denique, Angelus potest se movere de uno loco ad alium, non transeundo per medium : ergo etiam existere in locis extremis, non existendo in locis intermediis. Similiter potest Angelus intra spheram spatii adæquati applicare se ad partem quam voluerit, vel etiam subtrahere se ab omnibus partibus, ita ut nulli sit formaliter : ergo etiam poterit subtrahere se a partibus intermediis, non operando in illis, et applicare se ad operandum solum in extremitatibus.

Respondetur Angelos efficientes illum effectum, qui in Scriptura narratur, non constare quod fecerint illum in omnibus illis hominibus unico, et indivisibili instanti, sed tanta celeritate, ut moraliter reputetur in instanti fieri ; et sic quasi in ictu oculi, et brevissimo tempore potuerunt Angeli omnes illos Sodomitas percutere cæcitate, et omnes milites exercitus Assyrio-

rum simul interficere simultate brevissimi temporis, non simultate instantis physici, et operationis. Quæ ratione patres hanc Angelorum celeritatem ita exaggerant, ut videantur ubique esse, vel momento omnibus adesse, sicut Hieronymus epist. LIII contra Vigilantium, explicans illud : *Sequuntur Agnum quocumque ierit*, affirmat Angelos summa celeritate ubique esse. Et Nazianzenus orat. xxxiv, in fine inquit : « Angelos omnibus impigre adesse, tum ob ministrii promptitudinem ; tum ob naturæ levitatem. » Et acute Tertullianus in apologetico, cap. xxxii : « Omnis Spiritus, inquit, ales est : hoc Angeli, et dæmones : igitur momento ubique sunt. » Quare bene potuerunt illi Angeli brevissimo tempore, et quasi simultate imperceptibili percutere illos homines inter se distantes, effectum cæcitatis, vel mortis, per motum operando de uno in alium. Quod si persistatur dicendo quod unico instanti physico omnes illos effectus simul effecerunt, tunc dicendum est, quod in toto illo loco operabatur unus Angelus diversos effectus ex unica operatione provenientes, videlicet intra corpora hominum motum aliquem, quo morentur, vel cæci fierent ; et in aere intermedio aliquem alio motum, vel effectum prout vellent : sicut sol unica operatione producit in aere lucem, in terra herbam, in visceribus terræ aurum, etc. Similiter Angelus custos unius regni, vel provinciæ potest adesse diversis locis ejusdem provinciæ simultate temporis brevissimi, vel si sunt simultate instantis physici, erunt in intermediis locis operando aliquid aliud, continuatum tamen, vel coordinatum effectui quem operantur in extremitatibus distantibus, sicut de effectibus solis dictum est.

XXVI. Ad secundum dicimus be-

ne posse Angelum se movere de uno loco ad alium sine medio per motum discretum, quatenus vult operari in uno loco distante, et non in intermediis : sed tunc quando transit Angelus ad locum distantem, relinquit priorem, quem habebat. Cæterum simul existere in locis distantibus requirit quod simul exeant plures operationes ab uno Angelo, non continuando, vel coordinando unam alteri : quod omnino est inconveniens in agente per modum virtutis finitæ, et limitatæ. Unde videmus quod in motu discreto Angeli, potest moveri ad quancumque distantiam sine termino ; et sic potest descendere de cælo in terram, nihil de intermediis corporibus attingendo. Auctores autem oppositi non concedunt quod potest Angelus simul existere in locis inadæquatis ad quancumque distantiam, sed solum intra spheram suæ limitationis. Similiter concedimus, quod Angelus libere operatur in termino adæquato totius suæ spheræ, vel in parte illius majori, vel minori, prout voluerit, vel etiam abstrahere se ab omni operatione : si tamen voluerit de facto applicare suam virtutem, et operari in dicto loco, non debet pluribus operationibus simul, sed unica se applicare : hoc autem stare non potest si dividat loca inadæquata, quia tunc incipit una operatio ab una parte loci, et alia ab alia parte, non communicando, nec coordinando illas inter se, neque continuando unam cum alia.

NON POSSUNT ANGELI ESSE SIMUL IN EODEM LOCO FORMALI.

XXVII. Sententia D. Thomæ quam explicat q. LII, art. III, consistit in tribus dictis.

Primum est, in eodem loco mate-

riali non repugnat absolute loquendo, plures Angelos, vel plures Spiritus esse, si operentur diverso modo, vel diversos effectus, non autem respectu unius, et ejusdem effectus in ratione continentis talem locum. Constat hoc ex solutione ad tertium, ubi docet, quod : « Angelus, et anima possunt esse in eodem corpore, quia non comparantur secundum eandem habitudinem causæ, quia anima existit ut forma, non autem dæmon. » Et manifeste constat, quod intra idem corpus in quod est anima, non solum ut informans, sed etiam ut movens, potest existere Angelus, vel dæmon, torquendo illud corpus per alterationem, et motum, vel etiam fovendo, et confortando. Similiter ergo poterit unus Angelus esse in uno loco materiali operando, et alius patiando, sicut Angelus qui apprehendit dæmonium, et religavit illud, Tobiaë octavo, simul erat in eodem loco deserti superioris Ægypti, unus ut alligans, et alius ut alligatus. Similiter ergo si unus Angelus producat unum effectum, v. g. lucem in hac parte aeris, et alius aliquem motum, non repugnabit esse in eodem loco materiali secundum illos diversos effectus, quia si non repugnat subjectum suscipere diversos effectus, neque repugnabit agentia illi uniri in ratione diversi agentis. Constat etiam aliquando plures Angelos simul concurrisse in eodem loco, ut cum tres Angeli venerunt ad Abraham, Genes. xviii, et similiter Marci v dicitur fuisse in uno homine legio dæmonum : ergo ille homo erat materialis locus illorum spirituum, nisi unusquisque vellet solum operari in aliqua parte illius loci, et alius in alia, quod non constat, sed possunt diversos effectus operari circa id subjectum. Neque enim impediuntur esse in lo-